

Johann Kleinschmidt Georg Andreas Thun von

Discursus ex Iure Publico. De Electione Regis Romani

Rostochi[i]: Kilius, 1638

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731658477>

Druck Freier  Zugang



Wahl des Röm. Königs

Thom & Vert.

J. Kleinschmidt (J. Thom)

R. U. im 1638.

Discursus ex Jure Publico,

De

ELECTIONE RE- GIS ROMANI.

Quem

In florentissima & celeberrima Academia Rostochiensis

Deo ter Opt: Max: feliciter annuente

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi & Consultissimi Viri

Dn. JOHANNIS KLEIN-

SCHMIEDT, J.U. Doctoris & Professoris

publici, Præceptoris sui summopere
honorandi.

Publica disquisitioni submitte


GEORG: ANDRÉS THON

Thon

Nob: Pomeran:

Habebitur in Auditorio majori 26. Sept.

horis à 7. matutinis.



ROSTOCHI,

Literis NICOLAI KILII, Academ. Typograph.

ANNO M DC XXXVIII.

Generoso Pranobili maximeq; stre-
nuo Viro

Dn: WILHELMO
à Rathum dicto Lohausen/ Su-
premo excubiarum praefecto Illu-
strissimi Principis Megapolitani Consiliario
intimo, rerumq; bellicarum directori nec non
Praesidarii militis, Civitatis Rostochiensis gaber-
natori Patrono suo magno

SALUTEM ET OBSERVANTIAM,

Generose Pranobilis maximeq; strenue Vir, Non eleganter minus quam verè Q. Mutius, Servio, Tarpe esse respondit, Patricio & Nobili jus in quo versatur ignorare in l. 2. § Servius ff. de Orig. jur. Nemo enim adeo hospes est in jure nostro ut nesciat Jurisprudenciam tam circa jus publicum quod ad statum Reip. spectat, quam privatam, quod singulorum utilitatem concernit occupatam esse: adeo ut horum aliterum qui ignorat Jurisprudencis nomen vindicare sibi non possit. Quo mihi rectius sibi consulere videntur illi, qui utriusq; juris studium conjungunt, & quid publicè quid privatim expediat discunt atq; explorant. Horum vestigia sequenti placuit mihi presentem materiam ex juris publici haustam fontibus, discursum sc. de Electione Regis Romani publico examini submittere. Quem ipsum V. Generosi: in debita observantia tesseram offerens supplici prece obtestor, ut charitaceum hocce munus manu benigna mente gratiosa suscipere, meq; commendatum sibi habere non recuset. Dab: Rostochij 18. Septemb: Anno 1638.

V. Generositat observantissimus

Georg: Andreß Thun



Discursus de Electione Regis Romani.

Thesis I.



Uos esse ordinarios legitimè ad Imperia & Regna perveniendi modos, Electionem & Successionem tralatitium est: harum quæ præstantior sit, & in Rebus: tutior, lis est inter politicos non vulgaris. Al i pro Successione *Bodin. lib. 6. de Rep. c. 5. Lipsius lib. 2. polit. c. 4.* Pro Electione quam plures alij pugnant. Utraq; non destituta suis rationibus ponderosis satis & prægnantibus. Nos tam huic quàm illi suum relinquentes encomium existimamus, bonum civem præsentem statum boni consulere debere, tum quia sine majori malo mutari nequit, tum quia sub utroq; modo Resp: bene habere potest.

2. Utramq; anterioribus seculis experta est Respubl: nostra Romana. Hodie verò aliquot seculorum decursu, recepta, & pragmatica Caroli IV. sanctione, quam **Auream Bullam** vocant, confirmata, usquedum in Imperio nostro Romano-germanico salubriter viguit, libera Imperatoris electio. Nec obsistit quod in familia Austriaca radicata videatur Successio. *Bodino lib. 2. de Rep. c. 3.* eò quod per 200. ferè annos dederit illa nobis continuà serie Imp: ad minimum decem, facta supputatione ab Alberto Austriaco Imp: ad modernum Imp: Augustissimum Ferdinandum III. Non enim procedit argumentatio: quia electi sunt Austriaci, ergò alii ex alià familia eligi non possunt. Nam quod hactenus sacratissimum septemvirale collegium, illis gubernacula Imperii concediderit, id factum non cogente quadam necessitate, sed liberrimis suffragiis: suadentibus tamen gravissimis rationibus: cum quia filios paternæ virtutis imitatores sibi persuadent; tum quod Parentum merita filiis prodesse debent *arg. l. jubemus 3. §. 5. C. de Advocat. divers. judic. quod etiam Moguntinus Elector innuit apud Sleidanum lib. 1. de statu Relig.* Itanè, inquiens, de nobis & Imperio meritis est Maximilianus Cæsar? tum deniq; quia Austria est veluti murus salutis communis oppositus immanitati Turcicæ dicente Carolo V. Imp. *Sleid. d. loco. lib. 7. in fin.* Quæ omnia si fallunt alium ex alià gente eligi quid obstat? Imò cautè satis, ne electioni liberæ quicquam præjudicetur

cetur in Capitulatione Cæsarea provisum est, in quâ jurato promittit recens electus Imperator: Nolle se consilium ullum inire, quo dignitatem Imperii suæ familiæ peculiarem & hæreditariam faceret, sed liberam & integram permissurum Electoribus eligendi facultatem, *referente Sleid. d. l. 1.* Malam itaq; esse illationem, à voluntate liberrimâ ad inevitabilem aliquam necessitatē, hinc dilucefcit.

Definitio. 3. Cæterum talis Electio, ab eligendo dicta, de quâ noster sermo est Actus legitimus, in quo septem principes electores legitime convocati, liberrimis suffragiis, temporale caput Imperio Romano præficiunt.

Diviso. 4. Estq; vel ordinaria vel extraordinaria. Ordinaria quando vacante Imperii sede Electores ad novam electionem legitimo modo procedunt. De illâ priori loco acturis tractanda veniunt sequentia membra. 1. Occasio hujus Electionis. 2. Personæ eligentes. 3. Persona eligenda. 4. Electionis forma. 5. Effectus & 6. Contraria.

**In Electio-
ne Impera-
toris spe-
ctatur**
1.
Occasio. 5. Occasio quâ ad novam electionem progredi debent Electores præscribitur in *A. B. cap. 1. in pr. & cap. 4. §. 2.* nimirum quotiescunq; & quando cunq; sacrum contingit vacare Imperium: electio enim facta sede non vacante regulariter nulla est *arg. cap. 1 & 2. extr. de concess. præbend.* Vacare autem dicitur 1. Si morte naturali, Imperator decesserit. *A. B. cap. 1. §. 19.* vel 2. Spontè Imperio se abdicaverit, vel 3. ob gravissimas causas ab Imperiali solio remotus fuerit, *de quibus latius infra. th. 26.*

**2. Personæ
eligentes.** 6. Personæ Imp. eligentes sunt ferenissimi P.P. Electores: Quorum tanta est dignitas ut summis laudum titulis, ab Imp. Carolo IV. exornentur; Unde Palmite Imperiales, & septem candelabra, per quæ sacrum illuminari debet Imperium *in pr. A. B. Columnæ & latera Imperij. A. B. c. ult.* solidæ bases Imperij, & columnæ immobiles. *A. B. c. 12. pr.* appellantur: Imò quamvis Reges non sunt attamen Regibus æquiparantur *Waremund. ab Ehrenberg. d. feder. lib. 1. c. 2. n. 147.* His itaq; non ut singulis, sed ut universis, toti; collegio, secundum antiquam & laudabilem consuetudinem. *A. B. cap. 1. pr. & cap. 28 §. 1; cap. venerabilem extr. de Electione.* Imperatorem Romanum eligendi, jus ac facultas competit. Idq; optimâ ratione, cum nihil cogitari possit ad seditiosorum hominum factiones, & ad civilia bella declinanda utilius, quàm multitudini populû & opti-

& optimatum pluralitati, Principis creationem eripere, & cum pat-
rissimis communicare, teste Politicorum principe *Bodino de Republ.*
l. 6. c. 5. pag. m. 1138.

7. Electores hujusmodi sunt septem: quorum tres sunt Eccle-
siastici, quatuor vero seculares. Inter hos primum locum de jure
vetusto obtinet Archiepiscopus Moguntinus Sacri Rom: Imperij per
Germaniam Archicancellarius *A. B. c. 2. §. 2.* & collegij electoralis
Decanus *Buxtorff. ad A. B. Th. 15. lit. A.* Habet enim jus convocandi
Electores *A. B. c. 1. §. 19.* & perquirendi vota ab aliis *A. B. c. 4. §. 2.*
& 3. quod ad officium Decani spectat. Secundus ab illo est Ar-
chiepiscopus Trevirensis Sacri Impèij per Galliam & regnum Are-
latense Archicancellarius *A. B. c. 1. §. 12.* cui primum quoq; votum in
Electione Imp. competit, sicut illud olim in usu fuit *A. B. d. c. 4.* Ter-
tius in ordine est Archiepiscopus Colonienfis Sacri Imperij per Ita-
liam Archicancellarius *A. B. c. 1. §. 11.* Cui competit dignitas nec non
officium Romani Regi primum diadema regium imponendi *A. B.*
d. c. 1. §. 3. Hunc sequitur quarto loco Rex Bohemix Sacri Imperij
Archipincerna *A. B. d. c. 1. §. 11.* qui inter seculares ex regia dignitatis
fastigio merito obtinet primatum *A. B. d. c. 4. §. 3.* Quintus in ho-
nore est Comes Palatinus Rheni Sacri Imperij Archidapifer *A. B. c.*
5. in pr. & vacante Imperij sede Vicarius seu provisor ejus in parti-
bus Rheni & Sveviae *A. B. d. c. 5.* Quem insequitur Sextus, qui est
Dux Saxonix Sacri Imperij Archimarefcallus ejusdemq; vicarius in
illis locis quibus Saxonica jura servantur *A. B. d. c. 5. §. 1.* Ultimum
locum septimus claudit Marchio-Brandenburgensis Sacri Imperij
Archicammerarius *A. B. c. 1. §. 15.*

8. Rationem autem hujus numeri septenarij sciscitanti respon-
dendum videtur *ex l. 20. ff. de legibus* non omnium quæ à majoribus
constituta sunt ratio reddi potest. Quamvis quoq; probabilis ra-
tio desumi possit vel à numeri septenarij perfectione *Bertram disc.*
de Comitibus th. 36. vel quod olim quattior ordines fuerint Principum
Laicorum; Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, quorum ne se-
ullus præteritum conqueratur, ideo usu invaluisse, ut Regum nomi-
ne Bohemus, Comitum Palatinus, Ducum Saxo, Marchionum verò
Brandenburgensis Electionem perageret: quibus adjuncti Ecclesia-
stici Principes non unus, quia summa Ordinis hujus autoritas uno

contenta non fuisset; nec duo ob votorum paritatem: ergo tres horum ex classe constituti. *Vid. Limn. de Jur. publ. lib. 3. c. 1. n. 27. & seq.* Valeat tamen hæc ratio prout valere potest, dummodò exploratum habemus hunc numerum Electorum adeò ad strictam observantiam redactum & A. B. Caroli IV. Imp. confirmatum esse, ut hodie salva lege fundamentali nec augeri nec minui possit. Quapropter Maximilianus Imp. cum aliquando Electores sollicitaret de jure suffragii in Electione Imperatoria Archiducibus Austriæ communicando repulsam tulit teste *Marq. Freher. in Notis ad Per. de Andlo c. 1. lib. 2. & ex eo Limn. d. 1. n. 41.*

9. Sed cur collegium hoc partim ex Ecclesiasticis partim verò ex politicis principibus compositum sit? facilioris forsan est indaginis: Nam cum veteres sibi persuaderent tum demùm omnia rectè processura, si Religionis Antistites suis consiliis presentes haberint. *Reinking. de Reg. lib. 1. Class. 4. cap. 9. n. 3.* acita in portu consistere Imperium si ex togatà & armatà militià senatus secretior constaret *Dn. Præceptor æviternum honorandus Matthias Stephani in tractat. de Jurisdict. lib. 2. part. 1. c. 5. n. 18.* Ideoq; ecclesiasticos reliquis fuisse adjunctos, ut in re tam gravi & ardua haberent socios ac collegas, Viros tum pietate, tum eruditione ac vitæ integritate graves, verisimile est *Limn. d. lib. 3. c. 1. num. 46.* quamvis non possit negari Præfulis Romani consilio id quoq; factum, ut potestatem ille, quam sibi arrogavit semper in Imperij negotijs, hæc etiam vià eò magis confirmaret roboraretq; ut inq; it *Sleid. in Orat. ad Imp. princip pag. 9.* Aliam rationem affert *Bertram discurs. de Comitibus memb. 3. th. 30.*

10. Sequitur ut de Personà eligendà dicamus. Illa autem sit idonea seu ad capeffenda Imperij gubernacula habilis: quid enim? Annon Electores juramento promittunt, se cum Dei adjutorio electuros temporale caput populo Christiano i. e. Regem Romanorum in Cæsarem promovendum qui ad hoc existat idoneus? *verba sunt Juramenti in A. B. c. 2. §. 2.* Habilitas illa seu idoneitas describitur in *A. B. d. c. 2. pr. ibi Hominem justum, bonum ac utilem eligere ad salutem populi Christiani*: atq; sequentibus potissimum includitur adjunctis. 1. Removeatur omnis pluralitas; Unum enim caput, unum Regem populo Christiano eligere volunt. *A. B. d. §. 2.* Unum Imperij

Imperij corpus unius animo regendum movet Tacitus lib. 1. *Annal.* sicut ab uno gubernatore una navis; quamvis non desint exempla priorum seculorū, quibus duo pluresvè Imperio nostro præfuerunt: ut in l. *divi fratres ff. de penis. in script. l. 10. C. de testibus* & passim in LL. *Codicū.* Attamen cum rarum sit eodem loci potentiam & concordiam esse Tacit. 4. *Annal.* illa tanquam singularia non sunt ducenda ad consequentiam arg. l. 14. ff. de LL.

11. Secundo Sexus ratio habenda: Masculus scilicet non femina eligendus. l. 2. ff. de Reg. Jur. Nam quicquid masculum naturā magis factum ad imperandum foemineo Aristot. 2. pol. c. 8. præsertim cum ipsius foeminae adversus propria commoda laborare invenitur consilium l. 4. C. de Sponsal. Plerumq; enim muliebri consilium in deterius Tacit. 15. *Annal.* Sit 3. ætatis perfectæ ad minimum annorum decem & octo, arg. c. 7. §. 1. A. B. Non tamen senex nimis: quamvis enim senectus sit venerabilis, ut ait Callistratus in l. 50. de jure immunitat. & secundum Baldi plus valeat umbra senis quam gladius juvenis; non tamen sexagenario majoribus arduum hoc Reip. munus conferri debet: tum quod senes bis pueri, secundum vulgat. tum quod laborum impatiens sit hæc ætas, quos concomitantes habet summus ille honos. Illis ergo quiete nil potest contingere optatius.

12. Requiritur 4. in Imp. ut sit non Exterus sed germano sanguine natus Prudentissime enim Moguntinus Elector in Orat. ad Dn. Coelest. d. elig. Imp. apud Sleid. d. statue relig. lib. 1. Legibus inquit nostris & jurejurando nos arbitror impediri quibus cautum est ne decus hoc Imperij transferatur ad externos. Quamvis verò A. B. expressè id non requirat, imò potius cap. 2. pr. & c. 19. indefinite permittat quamcunq; personam habilem & idoneam eligere, tamen præter consuetudinem hætenus sanctè in Imperio observatam quæ vicem legis supplet. l. de quibus ff. d. Legibus, maxime si cum ratione conjuncta l. 2. C. quæ sit long. consuet. Othonem III. speciali lege cavisse multorum auctoritate probat Buxtorff. discurs. ad A. B. concl. 31. lit. d. Nec nos movet in contrarium exemplum Caroli V. qui Gandavi in Belgio natus est Thuan. lib. 1. histor. neque Ferdinandi I. ejus fratris qui in Hispaniâ natus, vivo tamen avo paterno Maximiliano I. Imp. Buxtorff. d. loco lit. e. Uterq;

Uterq; enim Patriam suam appellat Germania in R. A. Augsburg.
Anno 1548. S. ferner haben wir & R. A. d. Anno 1557. S. Darauff wir
& recte; nam non tam inspicitur locus in quo quis nascitur, quam
personæ ex quibus nascitur arg. l. 6 S. filius ff. ad municipal. Rein-
king d. loco c. 4 n. 15 & secundum Bartolum ad l. 1. n. 4 ff. ad municipal.
natus ex germano ubicunq; nascitur germanus est. Dn. Matth. Steph.
d. tr. d. Jurisd. lib. 2. part. 1. c. 1. n. 99.

13. Uterius in augusta Imp. personâ desideratur ut 5. non sit
extremæ fortis, quid enim asperius humili cum surgit in altum? sed
natus ex familia illustri ac nobili. Exempla Diocletiani, Anastasij
& Justinij Imp. & aliorum, quos vomis ac stiva ad imperiales mi-
sit fasces que recenset Sconb. polit. lib. 2. c. 4. cum fato potius & mira-
culo consilio Dei ascribenda sint, quâ arbitrio & electioni mor-
taliu, nullam nobis faciunt regulam. 6. Sit virtutibus principe
dignis instructus, nec non corporis ac morum pulchritudine con-
spiciuus. Imp. enim cum inter Europæ principes omnes caput ef-
ferat, ceu inter viburna cupressus: atq; Imperialis dignitas omnes
superemineat alias. l. 7. C. de bonis que liber. &c. conveniens est, ut
& virtutum & morum, & corporis elegantiâ nulli sit secundus. Sed
cum nihil inveniatur ex omni parte perfectum: illud maxime pro-
videre debent Electores ne Atheum, rudem stupidumvè, quos Al-
phonfus Arragoniæ Rex vocare solebat Asinos coronatos, vel gib-
bosum aut claudum; sed pietate, rerum prudentia, & fortitudine,
militari clarum, Justitiæ porro ac clementiæ amantissimum, formâ
quoq; & staturâ amabilem, summo huic regimini præficient: tum
quia hæ virtutes illum officij sui perpetuò commonefacient, ut
Republicam curet. dicente Moguntin. in orat. alleg. apud Sleid.
d. l. 1. tum ut subditos, ad majorem venerationem, reverentiam &
amorem tam externâ illa corporis, unde judicium sumimus pul-
chri ac concinui animi, quam internâ mentis celsitudine ac maje-
state commoveat. Nam quod pulchrum est amicum est, & sine
vi quicquid vult, facillimè impetrat. Sconb. pol. lib. 2. c. 29.

14. Licet Pontificij hæreticum, quo loco & nos Lutheranos ha-
bent, non admittant c. venerabilem de Elect. tamen illo non obstan-
te Augustanæ confessionis asseclam ad hanc dignitatem eveli pos-
se affirmamus cum Buxtorff. ad A. B. concl. 30. lit. d. cum per consti-
tutionem

tutionem pacis religioſæ omnes eccleſiaſtica censure erga illos ſunt ſuſpenſæ *N. N. zu Augsburg. d. Anno 1555. §. Damit auch atq; habiles ſint ad eligendum activè, quidm̄ & paſſivè; ut ratiocinatur Buxtorff. d. loco. 7.* Clericos omnes ab hac dignitate excludimus, juxta præceptum Chriſti *Luc. 22. v. 25.* Reges gentium dominantur, vos autem non ſic; & de Jure Feudali, Deſiit eſſe miles Chriſti qui factus eſt miles ſeculi, *lib. 2. Feud. tit. 21.* Quod etiam procedit licet ſe abdicaverint clericatu, & denuo Laici facti ſint *per text. in tit. 30. lib. 2. feud.*

15. Hactenus de perſonis tam eligentibus, quam eligendâ, nunc de formâ, ſeu modo eligendi dicendum venit. Ubi obſervanda ſunt 1. quædam quæ actum Electionis antecedunt. 2. Actus Electionis ipſe & 3. ejus ſubſequentia. Ad antecedentia referimus. 1. Loci designationem, ubi electio peragi debet: qui regulariter eſt Francofurtum ſuper Moganum *text. in A. B. c. 1. §. 18. & c. 2. pr. & paſſim*: poteſt tamen propter graves cauſas veluti propter peſtem graſſantem, aut metum belli, vel ſimilem aliam, non obſtante lege mutari *per text. expreſſ. in A. B. c. 28. §. 5.* Sed non Moguntino ſoli juſ eſt conventum alio in loco indicere, niſi id collegæ gravibus de cauſis permittant: quod inter conditiones à proteſtantibus Cæſari oblatas refert *Sléid. d. lib. 8. p. 206.* 2. Ut Archiepiſcopus Moguntinus intra unum meſem à die notiæ obitus Imp. continuè numerandum cæteros principes Electores ad novam Electionem Regis Romanorum legitime convocet *A. B. cap. 1. §. 18. & ſeq.* prout præſcripta extat formula in *A. B. cap. 18.* & quidem omnes nemine neglecto convocare debet: nam ſi vel unus eorum contemptus vel prætermiſſus fuerit, tota electio per illum retractari vel annullari poterit. *Cap. 28. Ext. d. election. Buxtorff. concl. 28.* Quod ſi verò Moguntinus id facere neglexerit, tunc iidem principes motu proprio Francofurtum convenire debent electuri Regem Romanorum. *A. B. cap. 1. §. 19.* Sed ſi illo tempore non ſit Archiepiſcopus an ſuccedat capitulum? quæſtionis eſt: quod negamus cum *Arum. diſcurſ. 1 ad A. B. th. 24.*

16. Electoribus ita convocatis incumbit. 3. ut quilibet eorum intra tres meſes, à die in literis intimationis expreſſâ, in loco designato ad eligendum Regem Roman. compareat *A. B. c. 1. §. 18.* niſi juſto impedimento detentus venire non potuerit *A. B. c. 28. §. 6.* quo casu

casu legales nuntios plenamq; & liberam & omnimodam potestatem habentes illuc ablegare debet *d. 6. §. 21.* formula procuratorii præscribitur *in A. B. c. 19.* Sed num procuratorem extraneum mittere an verò aliquem ex collegis in locum suum surrogare possit? controversum est: nos tam illud *per text. A. B. c. 19. & cap. 28. §. 6.* quam hoc fieri posse arbitramur. Ulterius in quæstionem venit an Elector Legato mandatum ad certam personam eligendam dare possit? quod de jure *A. B. cap. 1. §. 18. & c. 19.* negamus. Quod si verò vocatus neq; per seipsum neq; per idoneum Legatum comparuerit, aut quidem venerit, ante finitam tamen electionem recesserit, non relicto procuratore legitimo, electionis voce & jure in ea quidem electione caret. *d. cap. 1. §. 21.* & non obstante ejus absentia præsentibus ad electionem finaliter procedunt *A. B. cap. 18.* Quid verò si tardius ante finitam tamen electionem accesserit? Resp. *A. B. cap. 2. §. 4.* in eo statu admitti eum deberi in quo electio adventus sui tempore consistebat: Sed si contingat ut non unus aut alter sed major electorum pars aut non compareat, aut ante finitam electionem recedat, an præsentibus ad electionis actum procedere possint? difficillimæ est quæstionis. Nos de stricto jure *A. B. cap. 1. §. 21. & c. 18.* ubi indistinctè absentes voce privantur & præsentibus eligendi potestas tribuitur, minoris partis præsentiam sufficere putamus, *cum Buxtorff. d. l. th. 25. & Reinking. d. l. c. 3. n. 17.*

17. 4. Electoribus seu eorum nuntiis ad electionis locum profecturis, quo tuto eò pervenire possint salvus conductus præstari debet: & quidem cuilibet à designatis sibi principibus cæterisque Imperij subditis, de quo prolixè agit *A. B. cap. 1. fere per totum.*
5. Ingresses Urbem Francofurtensem, comitatum, non ultra 200. equites interque eos 50. tantum armatos, se extendentem introducant. *d. cap. 1. §. 26.* quod tamen non adeò strictè tempore Electionis Ferdinandi I. & Maximiliani II. & fortè nunquam observatum putat *Buxtorff. d. l. th. 24. lit. g. 6.* Huc referimus officia quædam Francofurtensium, quæ huic actui perficiendo subministrant, eaq; consistunt I. ut Francofurtenses Electoribus sui suorumq; tutelam & defensionem juramento promittant, & reipsa præsent, sub panâ Banni & amissionis omnium privilegiorum *A. B. d. c. 1. §. 22.*
2. Ne per omne illud tempus, ullum alium cujuscunq; etiam dignitatis

tatis status conditionisvè, intromittant, quàm principes Electores eorumq; nuncios, & quotquot sunt in ipsorum comitatu: Si autem quis intromissus vel antea præsens fuerit, illius exitum absq; morâ cum effectu protinus ordinabunt, sub iisdem pœnis superius expressis *A. B. d. loco* quod ipsum religiosè observatum in electione Caroli V. Anno 1519 legimus apud *Goldastum politic. Imperial. part. 1 discurs. 1 p 107 & seq. & ex illo Limn. d. lib. 2. c. 3. n. 28.*

18. Sequitur actus Electionis ipse: In quo observantur sequentes solennitates I. Ut Electores Urbem Francofurtensem ingressi statim sequenti die ad invocationem nominis divini in aede D. Bartholomæi conveniant. *A. B. cap. 2. in pr.* Quod verò de missâ in omnium Electorum præsentia decantandâ ibidem disponitur id secundum morem illius temporis intelligendum est *Buxtorff. d. loco th. 27.* Hodie verò cum Protestantes principes talem cultum à verbo Dei alienum esse edocti sint, meritò missam illam pontificiam missam faciunt, atq; interea temporis in proximum conclave vel sacellum se recipiunt, donec illa peracta & decantari cœptum est Hymnus ille, *Veni sancte Spiritus* &c. prout in Electione Maximiliani II. & seq. Imp. factitatum esse ex *Thuano l. 21. histor. aliisq; Scriptoribus probant Buxtorff. d. loco & Reinking. d. l. c. 3. n. 64.*

19. Peractis Sacris, 2. PP. EE. omnes, sive eorum nuntij ad altare conveniunt ad præstandum juramentum. *A. B. c. 2. pr. & §. 1.* Ubi quæritur, num EE. sibi invicem illud remittere possint? & negamus cum *Buxtorff. d. loco th. 28. lit. a.* quia EE. formam in A. B. præscriptam temerè mutare non possunt; Imò suspectos se redderent tale quid recusantes. Formula juramenti præscribitur in *A. B. d. cap. 2. §. 1.* Præstatur autem illud juramentum coram evangelio beati Johannis; & quidem alio paulum modo ab Electoribus Ecclesiasticis, alio item à secularibus: illi enim coram evangelio B. Johannis, quod ante ipsos poni debet, manus suas pectori cum reverentiâ superponunt, atque illo ut dictum modo jurant. *A. B. c. 2. in pr.* qui ritus in Clericis observandus Juri quoque civili conveniens est. *Novel. 137. cap. 2. Nov. 123. cap. 7.* Hi verò cum totâ suâ familiâ inermes assistere, & dictum evangelium corporaliter manibus tangentes jurare debent. *A. B. d. l. loco:* quod itidem à Jure Civili non abhorret *l. 27. C. de episcop. audient. Nov. 74. c. 5.* Sed hic in quæ-

tionem venit an EE. Protestantes tactis Evangelij jurare debeant? quod nos Affirmamus, eum enim nihil superstitionis ille ritus habeat, ideoq; nihil peccare nostros ita jurantes statuere nulla religio prohibet. *Waremund. ab Ehrenb. lib. 2. de fœder. c. 1. n. 15. & seq.* non tamen per vel ad Evangelium sed super vel tactis Evangelis & ita in ordinat. *Can part. 1. tit. 57. & seq.* protestantes omnes jurant. *Buxtorff. d. l. th. 29. lit. b.* Sed quid de verbis finalibus sic me Deus adjuvet & omnes sancti num illa illi a conscientia addere possunt quod negandum videtur, cum enim satis constet ex sacro Codice sanctos demortuos non esse invocandos, illosq; nobis non posse auxiliari; merito concludimus illud tanquam impium à nostratibus fieri non posse. Quapropter etiam Anno 1562. cum EE. Francofurti convenirent Regem Roman. electuri, illam formulam mutatam, & hoc modo Ita me Deus adjuvet & sanctum ejus Evangelium juratum esse *ex Goldasto refert, Limn. d. lib. 2. c. 3. n. 48.* Ordo in præstando juramento licet in A. B. non exprimat, tamen ita observatum esse meminit *Buxtorff. d. loco. th. 28. lit. d. & Reinking. d. loco. c. 3. n. 65.* ut primum à Moguntino ceteri Dni. Electores juramentum exigant, post ipse à singulis secundum honoris prærogativam præstari petat.

20. His omnibus præmissis 3. PP. EE. secedentes in proximam sacellum ad ipsam electionem progrediuntur: in qua notandum. 1. tempus intra quod electio finiri debet. 2. Vota ipsa quæ proferri debent considerata: de tempore ita disponit *A. B. d. cap. 2. §. 2.* ut sit continuum, nec recedant prius quam electio perfecta fuerit: deinde ut intra 30. dies, à die præstiti juramenti electionem finiant: quod si id facere distulerint, ex tunc transactis illis diebus panem manducant & aquam bibant, donec in votando concordēs fuerint. *A. B. d. loco.* idq; ad imitationem Juris Canonici, quod eandem terè poenam Cardinalibus, electionem pontificis protrahentibus infligit. *cap. ubi periculum §. 7. in eodem de elect. in 6.*

21. Vota sunt sententiæ PP. EE. quibus ad scrutinium alterius voluntatem declarant de personâ certâ in Imp. eligendâ *desinente Brautla. h. in epitom. Jurispr. publ. lib. 2. cap. 1. th. 31* Illa 1. sint sincera, libera, non coacta, non precibus comparata, nec præcio emptæ
 XB 11 A. B. cap. 2. §. 1. turpe enim est *secundum Aristot. lib. 2. polit. cap. 9.*
 officia

officia publica venalia facere. Ideo q̄ perpetuā laude dignus Ele-
ctor Saxonie Dux Fridericus, qui cum delatum sibi Imperium ad
Carolus V. suffragio suo detulisset, oblatam eo nomine magnam
pecuniæ vim à Legatis Caroli constantissimè rejecit, & suis ne vel-
teruntium acciperent ferio mandavit. *Sleid. d. lib. 1. Quod si nihil
ominus quid datum vel promissum fuerit dantem indignum esse,
accipientem verò voce pro ista vice carere volunt. Dn. Matth. Steph.
d. lib. 2. part. 1. c. 5. n. 29. Buxtorff. d. l. th. 32. Simon Pistor consil. 1. n. 30.*

22. 2 requiritur ut vota colligantur: colliguntur autem ab Ele-
ctore Moguntino ordine in *A. B. cap. 4. §. 3.* proposito: quo facto
ceteri PP. EE. à Moguntino vice versà requirunt, ut & ipse inten-
tionem suam exprimere velit *A. B. d. l.* quem morem & hodiè obser-
vari putamus cum *Limn. d. lib. 2. c. 3. n. 61.* Dissentit *Arumæus disc. 3.
ad A. B. th. 14. & 21. & Buxtorff. d. l. th. 50.* fundamentum suæ assertio-
nis sumunt ex *Sleid. lib. 1. d. stat. relig.* Utrum autem ista votorum in-
quisitio publicè an verò secretè fieri debeat? ambigitur. Sane de
Jur. Can. per cap. 42. x. d. ele. c. electionem Pontificis secretè fieri o-
portet? de nostrà Imp. electione cum non sit nobis textus, utrumq̄
fieri posse putamus: tutius tamen esse si secretè fiat non sine ratione
arbitramur. *Arum. d. l. th. 22.* Sed an quis per literas votum trans-
mittere potest? id negatur in *cap. 46. §. absens de elect. in 6. & deci-
sum est sup. in th. 16.* Ulterius disquiritur An Elector rogatus votum
proferre, seipsum possit nominare? & quoniam suspectus est qui
operas suas ingerit *l. 25. ff. de procurat.* dicendum est non debere
quempiã ab initio se suffragio suo nominare, ne ambire magis videat-
ur imperium, quam expectare oblatum. Diversum tamen est, quan-
do tres PP. EE. quartum ex ipsorum consortio in Regem Roman-
e elegerint; tùm enim electus suà voce eligentium numerum auge-
re & non tam suum quam collegarum iudicium sequi non prohibe-
tur *per expr. text. in A. B. cap. 2. §. final.* An verò patrem filium,
fratrem, aut alium sanguine junctum eligere potest? Resp. salva ju-
risjurandi religione facere id ipsum posse *Arum. disc. 2. th. ult.*

23. 3. Numerus votorum considerandus, de quo sequens ex-
tat decisio in *A. B. d. cap. 2. §. 3. & 4.* ut si quem major pars EE. elegerit,
talis electio perinde habeatur ac reputetur, ac si esset ab ipsis o-
mnibus nemine discrepante concorditer celebrata; in collegiis

enim id est regulariter ut major pars sufficiat l. 19. quod major ff. ad municipal. referturq; ad universos quod fit per majorem partem l. aliud 160. d. reg. jur. Quæ tamen decisio vera est si majoris partis electio nec contra antiquam imperii consuetudinem, nec in maximum imperij præjudicium tendat, aliàs enim major numerus non attenderetur Buxtorff. d. l. th. 34. lit. e. An autem, quod hic de majori parte dicitur intelligendum sit habito respectu concurrentium, an vero ipsius collegij electoralis: v. g. si duo eligerint Titium duo Cajum tres verò Sempronium quis censeatur electus? pulcherrimæ quæstionis est. Nos horum neutrum electum esse, sed denuo votandum concludimus: id enim in d. cap. 2. A. B. requiritur ut à majore ipsorum EE parte eligatur, & facit huc text. in c. ecclesia vestra 43. ext. d. electione Buxtorff. d. l. th. 35. lit. e. Facta itaq; conclusione pro majori votorum parte, novus electus Rex designatur: & si præsens est in æde D. Bartholomæi sistitur Brautlach d. l. th. 35. Deindè, ad altare accedentibus EE Moguntinus accersit à nobilitate & multitudine universà publicà oratione renunciat electum Regem, hortaturq; ut pro concordia electioni Deo ter. Max. gratias ex imo petitore omnes & singuli agant: Sleid. d. lib. 1.

24. Subsequentia electionem sunt I. Imperij commissio & acceptatio novi electi Regis. 2. gratulatio EE. conjuncta cum obædientia pollicitatione. 3. Imperatorja obligatio, quæ per capitulationem ad certa quædam capita juramento astringitur à quibus recedere fas ei non est. Capitulationis tenorem videre licet apud Sleid. d. stat. relig. lib. 1. & Limn. lib. 1. de jur. publ. c. 12. in fin. & Reink. d. lib. 1. cl. 3. c. 9. ubi hanc capitulationem nequaquam pugnare cum majestate Imp. rectè asserit. contra Arniseum d. jur. maj. lib. 1. cap. 6. 4. Privilegiorum confirmatio: nam secundum A. B. cap. 2. §. 5. electus priusquam se immisceat negotiis imperii, debet PP. EE. omnium ipsorum privilegia, libertates, jura, dignitates &c. absq; dilatione & contradictione confirmare. 5. Coronatio, quæ olim fuit triplex ferrea, argentea & aurea Dn. Matth. Steph. d. lib. 2. p. 1. c. 1. n. 134. Illa quidem fiebat Aquisgrani ab Archiepiscopo Colonienfi: ista Mediolani ab ejus loci Archiepiscopo; hæc verò Romæ à Pontifice Romano Reinking. d. lib. 1. cl. 3. c. 8. n. 12. & seq. Nostro seculo unatantummodo in usu mansit, quæ secundum A. B. c. 4. §. 3. & c. 28. §. 5. peragi.

peragitur Aquisgrani ab Archiepiscopo Coloniensi: quam tamen non esse ferream nec argentæam, ut quidam autimant, sed auream, testimonio à proprio visu desumpto comprobatur. *H. Balbus de coron. p. 44.* idem quoq; se facere posse dicit *Buxtorff. d. l. th. 46. lit. f.* sed quod dictum est coronationem germanicam fieri Aquisgrani, id quamvis factum sit à Carolo V. *Ordnung des Regimentes d. Anno 1521. in pr.* postea tamen non exactè & ad amissim est observatum, & vel Francofurti vel Ratisbonæ, & quidem novissimè Imp. nostro augustissimo Ferdinando III. Ratisbonæ corona fuit imposita à legato Brandenburgico prout refert. *author relat. elect. noviss. Ferd. 3. ritus & ceremoniæ circa coronationem usitata peti possunt à Sleid. lib. 2. de stat. relig.* ubi coronationem Caroli V. prolixè descripsit. His omnibus peractis ex æde sacrà ad Curiam vel aliud hospitium Imp. solenniter procedunt, ordine & modo in *A. B. cap. 21. & seq.* præscripto: ad quæ nos brevitatis causa referimus, *vid. quoq; Sleid. d. l. 2.*

25 De effectu electionis restat dicendum: qui consistit in hoc, quod Imp. à Serenissimis septem viris electo, ipso electionis jure Imperii gubernacula eum plenitudine potestatis conferantur; nec opus est præfulis Romani confirmatione; imo ejusdem ne quidem coronatio hodiè in usu est. Nam post Carolum V. qui eam Bononiæ accepit *X. A. zu Augspurg de Anno 1530.* nullus Imp. Romæ aut aliò profectus coronationis gratià *Reinking. d. lib. 1. cl. 3. cap. 8. n. 20. & seq.* & rectè: nil enim quicquam imperio ex istà coronatione, nisi incommoda onera magnis sumptibus subeunda emerferunt qui sumptus rectius in bellum Turcicum vel alios imperii usus conferuntur *Reink. d. l. n. 27. & seq.*

26. Contraria electionis sunt i. recusatio si quando electus abhorret à delato munere: quamvis enim id rarissime accidat, cum natura mortalium imperii avida sit. *Salust. in Jugurtha.* imo multi sub recusationis specie delatum Imperium flagrantissime cupiant exemplo Tiberii *de quo Sveton. cap. 24.* evenit tamen sæpiuscule, ut multi summos magistratus ex urgentissimis causis repudient, prout de Friderico electore Saxonie refert. *Sleid. d. lib. 1. & dixi supra th. 21. 2.* Spontanea Imperii abdicatio *arg. cap. 1. de renunciat. in 6.* habemus ejus exempla plurima in Diocetiano, Anastasia


5.
Electionis
effectus.


6.
Contra E-
lectionis.

Anastasio II. Theodosio III. aliisque; quos recenset *Limn. d. l. 2. c. 11. n. 8.*
 & novissime in Carolo V. Imp. *Sleid. l. 26. in fin* Debet autem ista
 abdicatio fieri ex rationabilibus causis, consentientibus quoque PP.
 EE. *N. A. d. Anno 1559.* in quorum quoque manus renunciatio fieri de-
 bet, non vero Pontificis *Buxtorf. d. l. 1. th. 10. 3.* Mors naturalis Imp. quæ
 omnia solvit, quaque omnia officia expirant. 4. Depositio quæ fit à
 solis PP. EE. *arg. l. 3. ff. de reg. jur. exclusis etiam reliquis Imperii statibus*
Bertram de comitiis th. 11. non vero à Pontifice ut vult *c. 2. d. sent.*
& re iudicat. in 6. nam Pontifici in Imp. nullum jus; imo contra-
 rium asserens majestatis reus est *ex const. Ludov. Bav. quæ extat apud*
Reink. d. l. cl. 2. c. 4. n. 3. Causa tamen debet subesse urgentissima:
 non enim in procerum arbitrio est Reges pro lubitu alternare iisque;
 uti velut tesseri *Reink. d. l. 1. cl. 1. c. 5. n. 33.* sed tùm demùm si quando
 electus Imperator fundamentales Imperii LL. violet, datam fidem
 negligat, &c. quadrata rotundis & candida nigris misceat, nec ulla
 melioratio sperari possit, non tanquam Imp. sed fidei & juris teme-
 rator removetur. *Reink. d. l. 1. cl. 2. c. 2. n. 189.*

27. Superest Electionem extraordinariam, quando sc. vivente
 Electio ex- adhuc, nonnunquam & dissentiente Imp. *per text. in capit. Casarea*
 tra ordi- *artic. 34.* PP. EE. ad Regis Romanor. futuri in imperio successoris ele-
 naria. ctionem procedunt, paucis tantummodo attingere. Est autem Rex
 Romanus perpetuus Imperii vicarius, Jurisdictionem ordinariam
 suo & proprio jure habens, absentis vel impediti Imp. locum susti-
 nens *Dn. Matth. Steph. d. l. 2. p. 1. c. 2. n. 52.* Eligiturque eodem modo &
 formà quæ electionem ordinariam fieri supra diximus: Non tamen
 nisi ex justà causà, de quâ prius EE. congregati deliberare debent,
 quàm ad electionem se accingunt *ut patet ex pacifico. Cadaviens. apud*
Sleid. l. 8. p. m. 206 l. 9. p. 225. Causæ verò ut plurimum sunt vel ingra-
 vescens Imp. ætas, vel quod diversis regnis districtus non semper
 possit esse præsens, uti habemus exemplum in Carolo V. Romanor.
 Imp. & Hisp. Rege: aut si quæ sunt aliæ urgentissime. *vid. Sleid. l. 7. in. f*
 Tantum de Electione Regis Romani tam ordinariâ quam extra-
 ordinariâ disseruisse sufficiat: prolixiora peti possunt à Juris publici
 commentatoribus, nec enim animus fuit omnia hoc loco per tra-
 ctare, sed ea tantùm, quæ maximè ad propositam materiam spectare
 visa sunt, extremis digitis attingere. Itaque hic substi-
 stentes tribuimus.

SOLI DEO GLORIAM.





ani ab Archiepiscopo Coloniensi: quam tamen
nec argentam, ut quidam autumant, sed auream,
rio visu desumpto comprobat. *H. Balbus de coron-*
se facere posse dicit Buxtorff. d. l. th. 46. lit. f. sed
coronationem germanicam fieri Aquisgrani, id
t à Carolo V. *Ordnung des Regimentes d. Anno*
amen non exactè & ad amissum est observatum,
vel Ratisbonæ, & quidem novissimè Imp. nostro
nando III. Ratisbonæ corona fuit imposita à le-
ico *prout refert. author relat. elect. noviss. Ferd 3-*
circa coronationem usitata peti possunt à *Sleid*
bi coronationem Caroli V. prolixè descripsit.
ctis ex æde sacra ad Curiam vel aliud hospitium
ocedunt, ordine & modo *in A. B. cap. 21. & seq* præ-
s brevitatis causa referimus, *vid quoq; Sleid. d. l. 2.*
electionis restat dicendum: qui consistit in hoc,
ssimis septem viris electo, ipso electionis jure Im-
eum plenitudine potestatis conferantur; nec o-
mani confirmatione; imo ejusdem ne quidem
a usu est. Nam post Carolum V. qui eam Bono-
u *Augsburg de Anno 1530.* nullus Imp. Romam
oronationis gratià *Reinking. d. lib. 1. cl. 3. cap. 8.*
è: nil enim quicquam imperio ex ista corona-
noda onera magnis sumptibus subeunda emer-
rectius in bellum Turcicum vel alios imperii u-
ink. d. l. n. 27. & seq.
electionis sunt i. recusatio si quando electus ab-
unere: quamvis enim id rarissime accidat, *Contra E-*
ium imperii avida sit. *Salust. in Jugurtha.* imo *lectionis.*
onis specie delatum Imperium flagrantissime
iberii *de quo Sueton. cap. 24.* evenit tamen sapi-
mmos magistratus ex urgentissimis causis re-
riderico electore Saxonix refert. *Sleid. d. lib. 1. &*
Spontanea Imperii abdicatio *arg. cap. 1. de*
emus ejus exempla plurima in Diocletiano,
Anasta-

5.
Electionis
effectus.

6.
Contra E-
lectionis.

076